

INCIPIT OSEE PROPHETA

¹ Verbum Domini, quod factum est ad Osee, filium Beeri, in diebus Oziæ, Joathan, Achaz, Ezechiæ, regum Juda; et in diebus Jeroboam, filii Joas, regis Israël. ² Principium loquendi Domino in Osee. Et dixit Dominus ad Osee: Vade, sume tibi uxorem fornicationum, et fac tibi filios fornicationum, quia fornicans fornicabitur terra a Domino. ³ Et abiit, et accepit Gomer, filiam Debelaim: et concepit, et peperit ei filium. ⁴ Et dixit Dominus ad eum: Voca nomen ejus Jezrahel, quoniam adhuc modicum, et visitabo sanguinem Jezrahel super domum Jehu, et quiescere faciam regnum domus Israël. ⁵ Et in illa die conteram arcum Israël in valle Jezrahel. ⁶ Et concepit adhuc, et peperit filiam. Et dixit ei: Voca nomen ejus, Absque misericordia, quia non addam ultra misereri domui Israël, sed oblivione obliscar eorum. ⁷ Et domui Juda miserebor, et salvabo eos in Domino Deo suo; et non salvabo eos in arcu et gladio, et in bello, et in equis, et in equitibus. ⁸ Et ablactavit eam quæ erat Absque misericordia. Et concepit, et peperit filium. ⁹ Et dixit: Voca nomen ejus, Non populus meus, quia vos non populus meus, et ego non ero vester. ¹⁰ Et erit numerus filiorum Israël quasi arena maris, quæ sine mensura est, et non numerabitur. Et erit in loco ubi dicetur eis: Non populus meus vos: dicetur eis: Filii Dei viventis. ¹¹ Et congregabuntur filii Juda et filii Israël pariter;

et ponent sibimet caput unum, et ascendent de terra, quia magnus dies Jezrahel.

2

¹ Dicite fratribus vestris: Populus meus; et sorori vestrae: Misericordiam consecuta.
² [J]udicate matrem vestram, judicate, quoniam ipsa non uxor mea, et ego non vir ejus. Auferat fornicationes suas a facie sua, et adulteria sua de medio uberum suorum; ³ ne forte expoliem eam nudam, et statuam eam secundum diem nativitatis suae, et ponam eam quasi solitudinem, et statuam eam velut terram inviam, et interficiam eam siti. ⁴ Et filiorum illius non miserebor, quoniam filii fornicationum sunt.
⁵ Quia fornicata est mater eorum, confusa est quæ concepit eos; quia dixit: Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, et aquas meas, lanam meam, et linum meum, oleum meum, et potum meum. ⁶ Propter hoc ecce ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria, et semitas suas non inveniet. ⁷ Et sequetur amatores suos, et non apprehendet eos; et quæreret eos, et non inveniet: et dicet: Vadam, et revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc. ⁸ Et hæc nescivit, quia ego dedi ei frumentum, et vinum, et oleum, et argentum multiplicavi ei, et aurum, quæ fecerunt Baal.
⁹ Idcirco convertar, et sumam frumentum meum in tempore suo, et vinum meum in tempore suo. Et liberabo lanam meam et linum meum, quæ operiebant ignominiam ejus. ¹⁰ Et nunc revelabo stultitiam ejus in oculis amatorum ejus; et vir non eruet eam de manu mea; ¹¹ et cessare

faciam omne gaudium ejus, solemnitatem ejus, neomeniam ejus, sabbatum ejus, et omnia festa tempora ejus. ¹² Et corrumpam vineam ejus, et ficum ejus, de quibus dixit: Mercedes hæ meæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei; et ponam eam in saltum, et comedet eam bestia agri. ¹³ Et visitabo super eam dies Baalim, quibus accendebat incensum, et ornabatur in aure sua, et monili suo. Et ibat post amatores suos, et mei obliscebatur, dicit Dominus. ¹⁴ Propter hoc ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. ¹⁵ Et dabo ei vinitores ejus ex eodem loco, et vallem Achor, ad aperiendam spem; et canet ibi juxta dies juventutis suæ, et juxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti. ¹⁶ Et erit in die illa, ait Dominus: vocabit me, Vir meus, et non vocabit me ultra Baali. ¹⁷ Et auferam nomina Baalim de ore ejus, et non recordabitur ultra nominis eorum. ¹⁸ Et percutiam cum eis foedus in die illa, cum bestia agri, et cum volucre cæli, et cum reptili terræ; et arcum, et gladium, et bellum conteram de terra, et dormire eos faciam fiducialiter. ¹⁹ Et sponsabo te mihi in sempiternum; et sponsabo te mihi in justitia, et judicio, et in misericordia, et in miserationibus. ²⁰ Et sponsabo te mihi in fide; et scies quia ego Dominus. ²¹ Et erit in die illa: exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cælos, et illi exaudient terram. ²² Et terra exaudiet triticum, et vinum, et oleum, et hæc exaudient Jezrahel. ²³ Et seminabo eam mihi in terra, et miserebor ejus quæ fuit Absque misericordia. ²⁴ Et dicam Non populo meo: Populus meus es tu; et ipse dicet:

Deus meus es tu.]

3

¹ Et dixit Dominus ad me: Adhuc vade, et dilige mulierem dilectam amico et adulteram, sicut diligit Dominus filios Israël, et ipsi respiciunt ad deos alienos, et diligunt vinacia uvarum. ² Et fodi eam mihi quindecim argenteis, et coro hordei, et dimidio coro hordæi. ³ Et dixi ad eam: Dies multos exspectabis me; non fornicaberis, et non eris viro; sed et ego exspectabo te. ⁴ Quia dies multos sedebunt filii Israël sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod, et sine theraphim. ⁵ Et post hæc revertentur filii Israël, et quærerent Dominum Deum suum, et David regem suum: et pavebunt ad Dominum, et ad bonum ejus, in novissimo dierum.

4

¹ [Audite verbum Domini, filii Israël, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ: non est enim veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra. ² Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. ³ Propter hoc lugebit terra, et infirmabitur omnis qui habitat in ea, in bestia agri, et in volucre cæli; sed et pisces maris congregabuntur. ⁴ Verumtamen unusquisque non judicet, et non arguatur vir: populus enim tuus sicut hi qui contradicunt sacerdoti. ⁵ Et corrues hodie, et corruerit etiam propheta tecum. Nocte tacere feci matrem tuam. ⁶ Conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam:

quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi; et oblita es legis Dei tui, oliviscar filiorum tuorum et ego. ⁷ Secundum multitudinem eorum sic peccaverunt mihi: gloriam eorum in ignominiam commutabo. ⁸ Peccata populi mei comedent, et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum. ⁹ Et erit sicut populus, sic sacerdos; et visitabo super eum vias ejus, et cogitationes ejus reddam ei. ¹⁰ Et comedent, et non saturabuntur; fornicati sunt, et non cessaverunt: quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo. ¹¹ Fornicatio, et vinum, et ebrietas auferunt cor. ¹² Populus meus in ligno suo interrogavit, et baculus ejus annuntiavit ei; spiritus enim fornicationum decepit eos, et fornicati sunt a Deo suo. ¹³ Super capita montium sacrificabant, et super colles ascendebant thymiana; subtus querum, et populum, et terebinthum, quia bona erat umbra ejus; ideo fornicabuntur filiae vestrae, et sponsae vestrae adulterae erunt. ¹⁴ Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatae, et super sponsas vestras cum adulteraverint, quoniam ipsi cum meretricibus conversabantur, et cum effeminatis sacrificabant; et populus non intelligens vapulabit. ¹⁵ Si fornicaris tu, Israël, non delinquat saltem Juda; et nolite ingredi in Galgala, et ne ascenderitis in Bethaven, neque juraveritis: Vivit Dominus ! ¹⁶ Quoniam sicut vacca lasciviens declinavit Israël; nunc pascet eos Dominus, quasi agnum in latitudine. ¹⁷ Particeps idolorum Ephraim: dimitte eum. ¹⁸ Separatum est convivium eorum; fornicatione fornicati sunt: dilexerunt afferre ignominiam protectores ejus.

19 Ligavit eum spiritus in alis suis, et confundentur a sacrificiis suis.]

5

1 [Audite hoc, sacerdotes, et attendite, domus Israël, et domus regis, auscultate: quia vobis judicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, et rete expansum super Thabor. **2** Et victimas declinasti in profundum; et ego eruditior omnium eorum. **3** Ego scio Ephraim, et Israël non est absconditus a me: quia nunc fornicatus est Ephraim; contaminatus est Israël. **4** Non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationum in medio eorum, et Dominum non cognoverunt. **5** Et respondebit arrogantia Israël in facie ejus, et Israël et Ephraim ruerint in iniuitate sua: ruet etiam Judas cum eis. **6** In gregibus suis et in armentis suis vadent ad quærendum Dominum, et non invenient: ablatus est ab eis. **7** In Dominum prævaricati sunt, quia filios alienos genuerunt: nunc devorabit eos mensis, cum partibus suis. **8** Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama; ululate in Bethaven, post tergum tuum, Benjamin. **9** Ephraim in desolatione erit in die correptionis; in tribibus Israël ostendi fidem. **10** Facti sunt principes Juda quasi assumentes terminum; super eos effundam quasi aquam iram meam. **11** Calumniam patiens est Ephraim, fractus judicio, quoniam cœpit abire post sordes. **12** Et ego quasi tinea Ephraim, et quasi putredo domui Juda. **13** Et vidit Ephraim languorem suum, et Juda vinculum suum; et abiit Ephraim ad Assur, et misit ad regem ultorem: et ipse non poterit sanare vos,

nec solvere poterit a vobis vinculum. ¹⁴ Quoniam ego quasi leæna Ephraim, et quasi catulus leonis domui Juda. Ego, ego capiam, et vadam; tollam, et non est qui eruat. ¹⁵ Vadens revertar ad locum meum, donec deficiatis, et quæratis faciem meam.]

6

¹ [In tribulatione sua mane consurgent ad me: Venite, et revertamur ad Dominum, ² quia ipse cepit, et sanabit nos; percutiet, et curabit nos. ³ Vivificabit nos post duos dies; in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu ejus. Sciemus, sequemurque ut cognoscamus Dominum: quasi diluculum præparatus est egressus ejus, et veniet quasi imber nobis temporaneus et serotinus terræ. ⁴ Quid faciam tibi, Ephraim? quid faciam tibi, Juda? misericordia vestra quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens. ⁵ Propter hoc dolavi in prophetis; occidi eos in verbis oris mei: et judicia tua quasi lux egredientur. ⁶ Quia misericordiam volui, et non sacrificium; et scientiam Dei plus quam holocausta. ⁷ Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum: ibi prævaricati sunt in me. ⁸ Galaad civitas operantium idolum, supplantata sanguine. ⁹ Et quasi fauces virorum latronum, particeps sacerdotum, in via interficientium pergentes de Sichem: quia scelus operati sunt. ¹⁰ In domo Israël vidi horrendum: ibi fornicationes Ephraim, contaminatus est Israël. ¹¹ Sed et Juda, pone messem tibi, cum convertero captivitatem populi mei.]

7

¹ [Cum sanare vellem Israël, revelata est iniquitas Ephraim, et malitia Samariæ, quia operati sunt mendacium; et fur ingressus est spolians, latrunculus foris. ² Et ne forte dicant in cordibus suis, omnem malitiam eorum me recordatum, nunc circumdederunt eos adinventiones suæ: coram facie mea factæ sunt. ³ In malitia sua læticaverunt regem, et in mendaciis suis principes. ⁴ Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus a coquente; quievit paululum civitas a commistione fermenti, donec fermentaretur totum. ⁵ Dies regis nostri: cœperunt principes furere a vino; extendit manum suam cum illusoribus. ⁶ Quia applicuerunt quasi clibanum cor suum, cum insidiaretur eis; tota nocte dormivit coquens eos: mane ipse succensus quasi ignis flammæ. ⁷ Omnes calefacti sunt quasi clibanus, et devoraverunt judices suos: omnes reges eorum ceciderunt; non est qui clamat in eis ad me. ⁸ Ephraim in populis ipse commiscebatur; Ephraim factus est subcinericius panis, qui non reversatur. ⁹ Comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit; sed et cani effusi sunt in eo, et ipse ignoravit. ¹⁰ Et humiliabitur superbia Israël in facie ejus; nec reversi sunt ad Dominum Deum suum, et non quæsierunt eum in omnibus his. ¹¹ Et factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor. Ægyptum invocabant; ad Assyrios abierunt. ¹² Et cum profecti fuerint, expandam super eos rete meum: quasi volucrem cæli detrahiam eos; cædam eos secundum auditionem cœtus eorum. ¹³ Væ eis, quoniam recesserunt

a me ! vastabuntur, quia prævaricati sunt in me, et ego redemi eos, et ipsi locuti sunt contra me mendacia. ¹⁴ Et non clamaverunt ad me in corde suo, sed ululabant in cubilibus suis: super triticum et vinum ruminabant; recesserunt a me. ¹⁵ Et ego erudivi eos, et confortavi brachia eorum, et in me cogitaverunt malitiam. ¹⁶ Reversi sunt ut essent absque jugo; facti sunt quasi arcus dolosus: cadent in gladio principes eorum, a furore linguæ suæ. Ista subsannatio eorum in terra Ægypti.]

8

¹ [In gutture tuo sit tuba quasi aquila super domum Domini, pro eo quod transgressi sunt foedus meum, et legem meam prævaricati sunt. ² Me invocabunt: Deus meus, cognovimus te Israël. ³ Projecit Israël bonum: inimicus persequetur eum. ⁴ Ipsi regnaverunt, et non ex me; principes exstiterunt, et non cognovi: argentum suum et aurum suum fecerunt sibi idola, ut interirent. ⁵ Projectus est vitulus tuus, Samaria; iratus est furor meus in eos. Usquequo non poterunt emundari? ⁶ Quia ex Israël et ipse est: artifex fecit illum, et non est deus; quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ. ⁷ Quia ventum seminabunt, et turbinem metent: culmus stans non est in eo; germen non faciet farinam: quod etsi fecerit, alieni comedent eam. ⁸ Devoratus est Israël; nunc factus est in nationibus quasi vas immundum. ⁹ Quia ipsi ascenderunt ad Assur, onager solitarius sibi; Ephraim munera dederunt amatoribus. ¹⁰ Sed et cum mercede conduixerint nationes, nunc congregabo eos, et quiescent paulisper ab

onere regis et principum. ¹¹ Quia multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum; factæ sunt ei aræ in delictum. ¹² Scribam ei multiplices leges meas, quæ velut alienæ computatæ sunt. ¹³ Hostias offerent, immolabunt carnes et comedent, et Dominus non suscipiet eas: nunc recordabitur iniqutatis eorum, et visitabit peccata eorum: ipsi in Ægyptum convertentur. ¹⁴ Et oblitus est Israël factoris sui, et ædificavit delubra; et Judas multiplicavit urbes munitas; et mittam ignem in civitates ejus, et devorabit ædes illius.]

9

¹ [Noli lætari, Israël; noli exultare sicut populi: quia fornicatus es a Deo tuo; dilexisti mercedem super omnes areas tritici. ² Area et torcular non pascet eos, et vinum mentietur eis: ³ non habitabunt in terra Domini. Reversus est Ephraim in Ægyptum, et in Assyriis pollutum comedit. ⁴ Non libabunt Domino vinum, et non placebunt ei. Sacrificia eorum quasi panis lugentium; omnes qui comedent eum, contaminabuntur: quia panis eorum animæ ipsorum: non intrabit in domum Domini. ⁵ Quid facietis in die solemni, in die festivitatis Domini? ⁶ Ecce enim profecti sunt a vastitate: Ægyptus congregabit eos; Memphis sepeliet eos: desiderabile argentum eorum urtica hæreditabit, lappa in tabernaculis eorum. ⁷ Venerunt dies visitationis, venerunt dies retributionis. Scitote, Israël, stultum prophetam, insanum virum spiritualem, propter multitudinem iniqutatis tuæ, et multitudinem amentiæ. ⁸ Speculator Ephraim cum Deo meo, propheta laqueus ruinæ factus est

super omnes vias ejus; insania in domo Dei ejus.
⁹ Profunde peccaverunt, sicut in diebus Gabaa. Recordabitur iniquitatis eorum, et visitabit peccata eorum. ¹⁰ Quasi uvas in deserto inveni Israël, quasi prima poma ferculneæ in cacumine ejus vidi patres eorum: ipsi autem intraverunt ad Beelphegor, et abalienati sunt in confusionem, et facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt.
¹¹ Ephraim quasi avis avolavit; gloria eorum a partu, et ab utero, et a conceptu. ¹² Quod etsi enutrierint filios suos, absque liberis eos faciam in hominibus; sed et vœ eis cum recessero ab eis!
¹³ Ephraim, ut vidi, Tyrus erat fundata in pulchritudine; et Ephraim educet ad interfectorum filios suos. ¹⁴ Da eis, Domine. Quid dabis eis? da eis vulvam sine liberis, et ubera arentia. ¹⁵ Omnes nequitiæ eorum in Galgal, quia ibi exosos habui eos. Propter malitiam adinventionum eorum, de domo mea ejiciam eos; non addam ut diligam eos: omnes principes eorum recedentes. ¹⁶ Percussus est Ephraim; radix eorum exsiccata est: fructum nequaquam facient, quod etsi genuerint, interficiam amantissima uteri eorum. ¹⁷ Abjicit eos Deus meus, quia non audierunt eum, et erunt vagi in nationibus.]

10

¹ [Vitis frondosa Israël, fructus adæquatus est ei: secundum multitudinem fructus sui multiplicavit altaria, juxta ubertatem terræ suæ exuberavit simulacris. ² Divisum est cor eorum, nunc interibunt; ipse confringet simulacula eorum, depopulabit aras eorum. ³ Quia nunc dicent: Non

est rex nobis, non enim timemus Dominum; et rex quid faciet nobis? ⁴ Loquimini verba visionis inutilis, et ferietis fœdus; et germinabit quasi amaritudo judicium super sulcos agri. ⁵ Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ; quia luxit super eum populus ejus, et æditui ejus super eum exsultaverunt in gloria ejus, quia migravit ab eo. ⁶ Siquidem et ipse in Assur delatus est, munus regi ulti. Confusio Ephraim capiet, et confundetur Israël in voluntate sua. ⁷ Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquæ. ⁸ Et disperdentur excelsa idoli, peccatum Israël; lappa et tribulus ascendet super aras eorum: et dicent montibus: Operite nos, et collibus: Cadite super nos. ⁹ Ex diebus Gabaa peccavit Israël; ibi steterunt. Non comprehendet eos in Gabaa prælium super filios iniquitatis. ¹⁰ Juxta desiderium meum corripiam eos: congregabuntur super eos populi, cum corripiantur propter duas iniquitates suas. ¹¹ Ephraim vitula docta diligere trituram, et ego transivi super pulchritudinem colli ejus: ascendam super Ephraim, arbit Judas; confringet sibi sulcos Jacob. ¹² Seminate vobis in justitia, et metite in ore misericordiæ. Innovate vobis novale; tempus autem requirendi Dominum, cum venerit qui docebit vos justitiam. ¹³ Arastis impietatem, iniuriam messuistis: comedistis frugem mendacii, quia confisus es in viis tuis, in multitudine fortium tuorum. ¹⁴ Consurget tumultus in populo tuo; et omnes munitiones tuæ vastabuntur, sicut vastatus est Salmana a domo ejus qui judicavit Baal in die prælia, matre super filios allisa. ¹⁵ Sic

fecit vobis Bethel, a facie malitiæ nequitiarum vestrarum.]

11

¹ [Sicut mane transiit, pertransiit rex Israël. Quia puer Israël, et dilexi eum; et ex Ægypto vocavi filium meum. ² Vocaverunt eos, sic abierunt a facie eorum; Baalim immolabant, et simulacris sacrificabant. ³ Et ego quasi nutritius Ephraim: portabam eos in brachiis meis, et nescierunt quod curarem eos. ⁴ In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis; et ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum, et declinavi ad eum ut vesceretur. ⁵ Non revertetur in terram Ægypti, et Assur ipse rex ejus, quoniam noluerunt converti. ⁶ Cœpit gladius in civitatibus ejus, et consumet electos ejus, et comedet capita eorum. ⁷ Et populus meus pendebit ad redditum meum; jugum autem imponetur eis simul, quod non auferetur. ⁸ Quomodo dabo te, Ephraim? protegam te, Israël? Quomodo dabo te sicut Adama, ponam te ut Seboim? Conversum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea. ⁹ Non faciam furorem iræ meæ; non convertar ut disperdam Ephraim, quoniam Deus ego, et non homo; in medio tui sanctus, et non ingrediar civitatem. ¹⁰ Post Dominum ambulabunt; quasi leo rugiet, quia ipse rugiet, et formidabunt filii maris. ¹¹ Et avolabunt quasi avis ex Ægypto, et quasi columba de terra Assyriorum: et collocabo eos in domibus suis, dicit Dominus.] ¹² [Circumdedit me in negatione Ephraim, et in dolo domus Israël; Judas

autem testis descendit cum Deo, et cum sanctis fidelis.]

12

¹ [Ephraim pascit ventum, et sequitur æstum; tota die mendacium et vastitatem multiplicat: et foedus cum Assyriis inuit, et oleum in Ægyptum ferebat. ² Judicium ergo Domini cum Juda, et visitatio super Jacob: juxta vias ejus, et juxta adinventiones ejus reddet ei. ³ In utero supplantavit fratrem suum, et in fortitudine sua directus est cum angelo. ⁴ Et invaluit ad angelum, et confortatus est; flevit, et rogavit eum. In Bethel invenit eum, et ibi locutus est nobiscum. ⁵ Et Dominus Deus exercituum, Dominus memoriale ejus. ⁶ Et tu ad Deum tuum converteris; misericordiam et judicium custodi, et spera in Deo tuo semper. ⁷ Chanaan, in manu ejus statera dolosa, calumniam dilexit. ⁸ Et dixit Ephraim: Verumtamen dives effectus sum; inveni idolum mihi: omnes labores mei non invenient mihi iniquitatem quam peccavi. ⁹ Et ego Dominus Deus tuus ex terra Ægypti: adhuc sedere te faciam in tabernaculis, sicut in diebus festivitatis. ¹⁰ Et locutus sum super prophetas, et ego visionem multiplicavi, et in manu prophetarum assimilatus sum. ¹¹ Si Galaad idolum, ergo frustra erant in Galgal bobus immolantes; nam et altaria eorum quasi acervi super sulcos agri. ¹² Fugit Jacob in regionem Syriæ, et servivit Israël in uxorem, et in uxorem servavit. ¹³ In propheta autem eduxit Dominus Israël de Ægypto, et in propheta servatus est. ¹⁴ Ad iracundiam me provocavit Ephraim in

amaritudinibus suis: et sanguis ejus super eum veniet, et opprobrium ejus restituet ei Dominus suus.]

13

¹ [Loquente Ephraim, horror invasit Israël; et deliquit in Baal, et mortuus est. ² Et nunc addiderunt ad peccandum; feceruntque sibi conflatile de argento suo quasi similitudinem idolorum: factura artificum totum est: his ipsi dicunt: Immolate homines, vitulos adorantes. ³ Idcirco erunt quasi nubes matutina, et sicut ros matutinus præteriens; sicut pulvis turbine raptus ex area, et sicut fumus de fumario. ⁴ Ego autem Dominus Deus tuus, ex terra Ægypti; et Deum absque me nescies, et salvator non est præter me. ⁵ Ego cognovi te in deserto, in terra solitudinis. ⁶ Juxta pascua sua adimulti sunt et saturati sunt; et levaverunt cor suum, et obliti sunt mei. ⁷ Et ego ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum. ⁸ Occurram eis quasi ursa raptis catulis, et dirumpam interiora jecoris eorum, et consumam eos ibi quasi leo: bestia agri scindet eos. ⁹ Perditio tua, Israël: tantummodo in me auxilium tuum. ¹⁰ Ubi est rex tuus? maxime nunc salvet te in omnibus urbibus tuis; et judices tui, de quibus dixisti: Da mihi regem et principes. ¹¹ Dabo tibi regem in furore meo, et auferam in indignatione mea. ¹² Colligata est iniquitas Ephraim; absconditum peccatum ejus. ¹³ Dolores parturientis venient ei: ipse filius non sapiens: nunc enim non stabit in contritione filiorum. ¹⁴ De manu mortis liberabo eos; de morte redimam eos. Ero mors tua, o mors

! morsus tuus ero, inferne ! consolatio abscondita est ab oculis meis. ¹⁵ Quia ipse inter fratres dividet: adducet urentem ventum Dominus de deserto ascendentem, et siccabit venas ejus, et desolabit fontem ejus: et ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis.]

14

¹ [Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum ! in gladio pereant, parvuli eorum elidantur, et foetæ ejus discindantur !]
² [Convertere, Israël, ad Dominum Deum tuum, quoniam corruisti in iniuitate tua. ³ Tollite vobiscum verba, et convertimini ad Dominum; et dicite ei: Omnem aufer iniuitatem, accipe bonum, et reddemus vitulos labiorum nostrorum. ⁴ Assur non salvabit nos: super equum non ascendemus, nec dicemus ultra, Dii nostri opera manuum nostrarum: quia ejus, qui in te est, misereberis pupilli. ⁵ Sanabo contritiones eorum; diligam eos spontanee: quia aversus est furor meus ab eis. ⁶ Ero quasi ros; Israël germinabit sicut lilium, et erumpet radix ejus ut Libani. ⁷ Ibunt rami ejus, et erit quasi oliva gloria ejus, et odor ejus ut Libani. ⁸ Convertentur sedentes in umbra ejus; vivent tritico, et germinabunt quasi vinea; memoriale ejus sicut vinum Libani. ⁹ Ephraim, quid mihi ultra idola? Ego exaudiam, et dirigam eum ego ut abietem virentem; ex me fructus tuus inventus est. ¹⁰ Quis sapiens, et intelliget ista? intelligens, et sciet hæc? quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis; prævaricatores vero corruent in eis.]

**Bibbia Vulgata Clementina na 1598
Clementine Vulgate of 1598 with Glossa Ordinaria
Migne edition 1880 in Latin**

Public Domain

Language: Latine (Latin)

Translation by: Jerome

2014-08-23

PDF generated using Haiola and XeLaTeX on 11 Nov 2022 from source files
dated 9 Oct 2020

7ca33455-379f-554d-a635-9009adbd90c5